

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XLIV.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis
Rectore.

Respondente,

GEORGIO HEISIO

M. T.

Dominica XIII. post Trinitatis.

A. O. R. cl. lcc. III.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-

schlegelij



*Amplissimo, Spectatissimis,
Prudentia Probatissimis*

**DN. CASPARI
HEISIO,
Judici Novoforensi æquissimo.**

**DN. ANDREÆ
HEISIO,
Aurifabro Exercitatissimo.**

*Fautoribus suis consecrat
hos labores*

PRÆSES.



ANALYSIS
 EVANGELII
 DOMINICA XIII. POST
 TRINITATIS.

Luc. 10. à v. 23. ad 38.

PRÆSCRIPTIO.

David, quod legitur 1. Reg 30.
 v. 15. in procinctu prosequendi in-
 cendarios urbis Siceleg relictum,
 à fugientibus in via agrum ser-
 vum Agyptium benigne suscepit: ita Sama-
 ritanus etiam vulneratum curavit, & proba-
 vit se magis misericordem esse, quam Levita
 fuit & Legis peritus; siquidem per eundem in-
 telligitur Iesus Christus ex stirpe Davidis, ut
 qui fidelis custos hominum, Psalm. 121, 4. qui
 custodit omnia ossa nostra, Psal. 34. 22. qui cu-
 stodit animas sanctorum suorum, & de manu
 impiorum liberat eos, Psalm. 97, 10. qui custo-
 dit

D d

dit

*dic omnes diligentes se, Psalm. 145, 20. id quod
uberius tractatur in Evangelio. In quo*

THESES I.

Partim beatitudinis discipulorum de-
prædicatio, ubi est Christi propterea gratu-
latio v. 22. In quo partim continetur factū,
quod monstrat conjunctim, tum modum:
Et conversus. Nimirū postquam elegerat non
modò sibi duodecim Apostolos, Luc. 10, 1. sed
& hi cum post semestre redirent, prosperumq̄
rerum successum annunciarent, letatus est &
exultavit spiritu, gratiasq̄ egit Deo patri: tunc
conversus ad discipulos.

2. Tum objectum: ad discipulos. Cum
iis enim agit tanquam cum legatis suis, quos
ablegaverat.

3. Distinctim: seorsim. Quæ quidē parti-
cula in Latina versione omissa, vel per incuria
librariorum, vel per negligentiam; Sed tamen
in fontibus habetur: Et monstrat quæ docen-
da sunt, primò seorsim seu privatim inculcan-
da, ut postmodum publicè eò melius proponi
possint & tractari. quemadmodum Matth. 10,
27. quod dico vobis in tenebris, dicite in luce,
& quod in aurem auditis, predicate in tectis.
Quæ enim præcepit, iussit etiam docere serva-
re gentes omnia, Matth. 28, 20.

4. Par-

4. Partim dictum : quod continet formalia ab accidente qualitate : dixit : Beati oculi, qui vident. Ubi per synecd. partis pro toto intelliguntur homines videntes, beatiq; predicantur : dum non minima felicitas videre posse : & propterea reliquis sensibus præferatur, quum cæcus primùm inter miseros habeat locū. Inde regina Arabæ ministros Salomonis felices appellat, qui viderent, 1. Reg. 10, 8.

5. Et materia : quæ vos videtis. Ubi non visus tantum corporalis intelligitur : sed simul etiam spiritualis, dum oculis corporeis viderunt faciem Christi formosam præ filiis hominum, Psalm. 45, 3. Viderunt tot ac tanta miracula, quibus gloriam suam manifestabat Christus, Joh. 2, 11. Filium Dei vivi, Matth. 16, 16. aspexerunt ejus majestatem, 2. Petr. 1, 12. viderunt verbum, qui cum Moyse & Elia viderunt gloriam verbi, habet Bernhardus serm. 6. in Ascens. Et licet etiam ipsum viderint Pilatus & Herodes, tamen visio ipsorum tantummodò fuit corporalis, non spiritualis. Verò autem beatitudo consistit in visione spirituali. Et ita vox beatitudinis etiam usurpatur, 1. Reg. 10, 8.

6. Tum est gratulationis ratio ex collatione comparatorum dissimilium & distri-

butione subjectorum v. 24. In quo causa:
 Dico enim vobis. Ita Christus nihil asserit
 sine ratione, sed eam plerumq³ subjungit, ut do-
 ceat optime posse doceri per rationes.

7. Et forma, quæ continet subjectum
 quoad sacros: quod multi Prophetæ. Sub
 quibus etiam alii sancti intelliguntur synec-
 dochicè. Nam & Abraham, Johan. 8, 86. &
 David, Psalm. 14, 7. 2. Reg. 23, 5. & Esaias
 c 45, 8. & Haggæus cap. 2, 8. & omnes, Act. 3,
 24. uti & Simeon, Luc. 2, 29.

8. Quoad politicos: & Reges. Ut Da-
 vid, Lamech, Gen. 5, 29 sub quibus etiam in-
 telliguntur ceteri, ut Heva, Gen. 4, 2. & Han-
 na, Luc. 2, 28.

9. Prædicatum respectu desiderii quo-
 ad visum: voluerunt videre, quæ vos vide-
 tis. Hoc est, Messiam in carne exhibitum. Et
 semen illud mulieris, Gen. 3, 15. semen Abraha,
 Ebr. 2, 16. semen benedictum. Non quasi planè
 non viderint, sed viderunt tantum spirituali-
 ter, ut Abraham, Johan. 8, 56. Esaias, cap. 9, 1.
 non corporaliter simul. Quamvis verè & ii
 beati sint qui non vident & credunt, Joh. 20.
 v. 29. illi tamen beatiores, qui & vident &
 credunt.

10. Respectu effecti negati: & non vide-
 runt.

runt. Neque enim rem promissam habuerunt, licet promissionem de futuris invisibilibus. Alias Abraham etiam vidit ipsum cum promissionem acceperit, Genes. 12, cum natus Isaacus divinae expectationis premium, veritatis testimonium, posteritatis initium, generis fundamentum, salutis argumentum nascituri Christi seminarium, Gen. 21, cum angelos suscepit, Gen. 18. cap. fuit enim mactatus ab origine mundi, Apoc. 13. 8. ratione virtutis.

11. Quoad autem respectu desiderii: & audire quae vos auditis. Scilicet conciones evangelicas & salutiferas, de regno Dei, de redemptione generis humani, passione, morte & resurrectione, iustitia & vita aeterna, Joh. 6, 35. Luc. 24, 27.

12. Et respectu effecti. & non audiverunt. Ita illi audiverunt sub enigmate isti in coram. Si quidem, quod scribit Chrys. Homil. 7. in cap. 1. Joh. & vocem eius illi audiverunt, & ipsum viderunt, beati itaque oculi illorum, qui ipsum intuentur in lumine fidei, ut postea illum videant in regno caeli, habet Thomas Kempis, medit. 11. §. 1. de modis quatenus vident Christum.

13. Partim est quaestiones de lege explicatio, tum de vitae aeternae hereditatione,

ubi Legisperiti interrogatio v. 25. In quo præponitur attentionis particula: & ecce. Non enim sine ordine ista, uti quidam opinantur, proponuntur; sed cum Legisperitus timuerit, ne Evangelii doctrina, Moysis auctoritas minueretur, dum suos discipulos predicavit beatos, propterea quod ipsum viderent & audirent, præter omnem expectationem, non in audiendo consistere beatitudinem opponit iste: an, etiam ipsi sufficiat videre tantum, potissimum cum factis beatitudinem tribuat, Levit. 18, 5. Deut. 27, 27.

14. Et subjectum vagum exponitur: quidam Legisperitus. Seu legis interpretes, qui legis scientiam vendicabat sibi, & eam interpretabatur. Fuerunt enim illi legisperiti, qui locum habuerunt in Synedrio Ecclesiastico, quod ex 72. iudicibus constabat, penes quos fuit iurisdictio Ecclesiastica; qui membra fuerunt illius augusti collegii, quod Deuter. 17, 8. constituitur, ad quod dubii & graviores casus deferebantur, unde Gen. 49, 10. dicuntur legislatores. Reliqui verò, qui non erant Synedrii assessores, vocantur νομοδιδάσκαλοι & γραμματεῖς. Sicut adhuc quidam possunt esse Theologia Doctores & scriptura interpretes, qui tamen non presunt, Et ita omnes legisperiti fuerunt.

runt quidem Scribae & νομοδιδάσκαλοι; sed non omnes Scribae & νομοδιδάσκαλοι sunt legisperiti. Nempè fuit inter Theologos confessione & professione.

15. Prædicatum quoad factum, ubi externa forma: surrexit. Factum enim videtur in Synagoga, ubi simul multi considerare solent; vel præ zelo & fastu nimio, sicut Caiphas surgit & accusat Christum, Matth. 26, 62. Nempè plus mente quàm corpore se elevasse intelligendum est, habet Ardens. Arrogans enim fuit legisperitus, imò superbus, ut ex his, quæ sequuntur, manifestum est, ait Theophyl. in h. l.

16. Et finalis causa: tentans illum. Sperabat nimirum se impetraturum ejusmodi responsum, quod doctrina Moysis adversaretur; unde Domino odium vel invidiam apud populum conciliaret. Ut discamus non omnes interrogationes discendi animo proponi, sed sæpè tentandi. Unde Augustin. de consens. Evangelist. ait: interrogabat inflatus Phariseus non ut disceret ab alio aliquid; sed ut tentaret illum malitiosè, Christum experiri volens, si aliquid contra Moysen loqueretur.

17. Quoad dictum in genere: dicens. Si quidem disputare, voluit, & præ cæteris videri.

Unde Origenes inquit tract. 23. in Matth. omnes qui non discendi causa interrogant, estimare debemus eius fratres.

18. In specie quoad objectum: Magister. Id est, doctor seu preceptor, qd diceret: cum de via beatitudinis tam magistraliter differas, etiam mihi respondeas; & cum sis doctor populi seu preceptor, uti Syrus reddidit, necesse est ut habeas scientiam legis divina tradita.

Qui titulus sanè honorificus est, unde Christus non solum ab Apostolis ita appellatus, sed etiam à plebe, Matth. 8, 19. cap. 12, 38. Matth. 19, 16. Marc. 9, 17. Johan. 13, 13. Et quem alibi Rabbi vocant, Matth. 26, 25. Lucas διδάσκαλον. Interim quod glossa interlinearis ait, magistrum vocat, sed eius noluit esse discipulus.

19. Quoad modum sive causam vite aeternae instrumentalem: quid faciendo vitam aeternam possidebo? Id est, quomodo hereditabor vitam aeternam, potissimum cum dicatur, Lev. 18, 5. legem meam faciens vivet in ea. Lex enim quidem per se bona est, & promittit vitam prestantibus. Et si perstitisset Adam, in illa sanctitate retinisset vitam, non tamen meruisset salutem, quia non faciendo, sed credendo possidemus eam, Johan. 3, 18. 6, 47. Secundum autem legem ut legis peritus querebat,

bat,

bat, ideoq³ materiam deligebat etiam ex suo foro, cuius interpret ac doctor erat. Christus quippe videbatur ipsis homines deducere ad novam doctrinam; ideoq³ voluit ipsum quaestione retrahere ad Moysen, ut vel invitus fateri cogatur in Moysse esse perfectam vitae aeternae acquirenda rationem: ac ita, quod habet Cassiod. l. 10. c. 53. multi magistrum vocant, cuius doctrinam despiciunt; doctorem, cui contradicunt: interim eatenus nos monuit, ut aequè nos queramus, quomodo vitam aeternam consequamur. Via quippe est vita praesens, qua ad patriam tendimus, ait Gregor. in Moral. expos. l. 15. c. 31. quia Scriptura hoc nos jubet, Coloss 3, 14. Hebr. 13, 14. quia illuc dirigendus est spiritus, quo iturus est. Illuc festinare debemus, ubi mori amplius non timeamus, habet Bernhard. in medit. de noviss. c. 16.

20. Et Christi declaratio, ubi ejusdem inquisitio v. 26. in quo duplex interrogatio, partim quoad scriptum: at ille dixit ad eum: in lege quid scriptum est? Qua ipsa legis peritum remittit ad legem, & dum examinare audeat Dominum, examinatur ipse, ubi ipsum obliquè ad infirmitatis suae agnitionem deducere voluit. Ut disceret, adversus Dominum non esse sapientiam, non prudentiam

am

am, nec consilium, PROV. 21, 30. Voluit enim homo faciendo salvari. Ideoq; etiam de lege interrogatur, qualis enim erat legisperiti interrogatio, talis etiam addebatur à Christo responsio. Nam lex optima & Deo placentia opera prescribit, unde Mich. 6, 8. habetur dictum tibiò homo quid faciendum. Quicquid enim queritur ad salutem, totum jam adimpletum est in scripturis, habet Chrysoft. Homil. 41. in Matth. Aliàs cum miseris peccatoribus quando res erat ad Evangelium remittebat Joh. 3, 16. Nicodemum, Paralyticum, Matth. 9, 2. Mariam & Magdalenam, Luc. 7, 48.

21. Quoad lectum: quomodo legis? Hoc est, quomodo soles ipse interpretari legem, non quomodo antiqui legerunt. Atq; ita sapiens capitur in sapientia, & astutus in astutia, Tob. 5, 12. Ut nos moneat non sufficere habere scripturam, sed etiam nos debere legere eandem. Non vero quasi voluerit, ac si per legem possim9 habere vitam, siquidem 1. ille non discendi animo, sed tentandi & calumniandi quæsivit. 2. quia de faciendo non de credendo interrogavit. 3. quia inflatus erat, monere voluit, ut in semetipsum descenderet & observaret, an etiam ea fecerit.

22. Et responsio tum Legisperiti, ubi
sum-

summaria legis recitatio v. 27. In quo in genere: ille verò respondens, dixit. *Nempè Legisperitus. Unde colligitur fuisse eruditum, cum ad legem remissus, expedite responderit. Et si tam promptus fuisset in faciendo, quàm in respondendo, bene actum fuisset de eo, habet gloss. ordinaria. Legerat, sed non implevit quod scriptum erat; quia in presentia habuit Dominum, quem diligere debebat, sed adhuc Magistrum, non Deum vocat.*

23. In specie summatim: Diliges. *Summa enim legis est charitas, Rom. 13, 10. 1. Timoth. 1, 5. Et quidem in secunda persona dicitur, quo nemo excludatur. Idq; loco Imperativi Futurum ponitur Ebraeorum more, ne in nostro arbitrio positum esse colligatur. Hoc enim est primum & maximum mandatum, Matth. 22, 38. & quia dilectio est causa & mater omnium virtutum, habet August. de laud. charit.*

24. Sigillatim, quoad objectum absolute: Dominum. *Qui est talis ob creationem, ob sustentationem, redemptionem & sanctificationem.*

25. Et relatè, quoad primam tabulam Deum tuum. *Ita describitur, & Levit. 19. decies repetitur, Ego Dominus Deus tuus. Ve-*
scia

sciatur quis sit diligendus? Nempè Deus verus, quemadmodum habetur. Unde verba sunt petita, Deut. 6, 1. ubi Elohim habetur per quã vocem describitur talis, qualis se in operibus suis patefecit. Ec cur non? quia prior nos dilexit, 1. Joh. 4. 19.

26. Et quoad modum, sigillatim respectu appetit⁹ intellectivi: ex toto corde tuo. Quo voluntas toto impetu in Deum feratur, & in solius Dei dilectionem directa sit.

27. Et sensitivi: & ex tota anima tua. Quo unice adhaereat Deo, totamq; nostram vitam, non autem partem Deo sacremus.

28. Summatim: & ex totis viribus tuis. Quod omnes animæ vires, & omnia corporis membra, sensus interiores & exteriores ad Dei dilectionem dirigere debeamus.

29. Respectu intellectus: & ex tota mente tua. Ut omnes nostras cogitationes ad Dei amorem intendamus. Nempè debemus Deum ardentè diligere, quia ex toto corde; constanter, quia ex tota anima; fortiter, quia ex totis viribus; & sapienter, quia ex tota mente. Quamvis alii aliter gradus istos distinguant, ut habet Lyra in cap. 22. Matth. Hoc loco tamen nomine cordis intelligitur appetitus rationalis, quem voluntatem vocamus,

uti

uti usurpatur Deut. 4, 29. Jos. 22, 5. Anima
 significat appetitum sensitivum, uti Deuter.
 12, 20. Virium nomine generaliter intelligun-
 tur omnes anime & corporis vires: Et mentis
 appellatione exprimitur intellectus. Quò innu-
 atur perfectissimam legis obedientiam requiri
 ad Dei dilectionem, ut nulla vite nostra pars
 relinquatur, quæ vacare debeat, Augustin. l. 1.
 de doctr. Christi c. 22. Unde Ardens inquit:
 Quid vult sibi, fratres mei, tanta inculcatio
 verborum? nonne si dixisset cordiculus dili-
 ges, satis fuisset? Ad maiorem, fratres, expres-
 sionem, & si expressius potuisset, expressius etiã
 dixisset, quoniam nunquam satis dicitur, quod
 unquam satis agitur; semperq; additur ex toto
 corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus
 tuis, & ex tota mente tua, ne quis opinetur, suf-
 ficere partem, & sufficere alienum amorem no-
 bis. Ideoq; inquit Idiota lib. 4. contempl. de
 amore divino c. 12. amorem tuum, Domine,
 alienus non occupet, nec alius cõmisceatur, quia
 non possunt commisceri vera vanis, eterna ca-
 ducis, corporalibus spiritualia, summa imis.
 Unde & colligitur, cum alius sit ordo, quam
 Matth. 22, 37. non etiam esse eandem ratio-
 nem. 1. Ratione temporis, nam quod Lucas
 recenset, tertio ministerii Christi anno conti-
 git.

git; sed quod Matthæus anno quarto, & tertio ante passionem die. 2. Ratione occasionis h. l. apud Lucam Christi prædicatio de beatitudine Apostolorum occasio fuit, apud Matthæum est sapientissimum Christi responsum Sadducæis datum. 3. Ratione questionis, apud Lucam h. l. querit Legis peritus de vitæ eterne possessione, apud Matthæum de maximo mandato. 4. Ratione responsionis, apud Lucam recitatur Legis peritus, apud Matthæum Christus. 5. Ratione ordinis, nam apud Matthæum vires ponuntur ultimo loco, hic apud Lucam penultimo.

30. Quoad secundam tabulam, respectu objecti: & proximum tuum. Id quod exstat Levit. 19, 18. Nomine quoque proximi non intelligitur Christus, uti Hilarius voluit can. 23. in Matth. sed omnis homo, fidelis & infidelis, etiam incognitus, etiam inimicus, sicut Augustin. ep. 52. ad Maced. explicat. Non enim h. l. sanguinis propinquitate dicitur proximus, sed ratione societatis pensandus est, in qua omnes homines socii sunt. Id quod patet ex ipsis verbis legis Mosaica, ubi in fontibus talis intelligitur socius, qui simul cum aliquo pascitur & educatur. Quemadmodum etiam vox *πρόσκειτος* à *πέλας* apud Aristotelem & Æschynem accipitur, 2. Colligitur ex parallelis locis, ubi

ubi non solum amicus & cognatus, sed etiam inimicus & hostis precipitur diligendus, Exod. 23. 4. Deuteron. 22. 1. Proverb. 25. 21. Et probat Augustinus lib. 1. de doctr. Christi c. 30. manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum. Et rectè sanè, dilectio proximi subjicitur dilectioni Dei: qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum què non videt, quomodo potest diligere? 1. Joh. 4. 20. & cum charitate simul intrat dilectio proximi, habet Chrylost. homil. 34. ad populū Antioch. & Lactantius inquit l. 6. de vero cultu c. 10. si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes oriuntur, certè consanguinei sumus: & ideò maximum scelus putandum, odisse hominem vel nocentem. Item si ab uno Deo omnes animati & inspirati, quid aliud est, quàm quòd fratres sumus? Et quidem conjunctiores; qui animis quàm qui corporibus. In malis quidem non diligitur iniquitas, quam ipsi faciunt, sed creatura, qua à Deo creata, habet Just. Episc. Orgeli comment. in cant. n. 30. Et benè notandum est, non repeti verbum diliges, quia licet duo precepta sint, unus tamen est amor, quia alius amor non est, quo quis diligit proximum, & quo diligit te, Domine, inquit Idiot. lib. 1. contempl. de amor. divin.

c. 29. *alioquin non esset propter te. Nec potest se quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur aberrare. In Deum autem solum omnis spes & fiducia collocanda, ait Maximus confess. & Mart. cent. 4. de charitate sentent. 95.*

31. *Tum modum : sicut te ipsum. Non additur sicut te : unde & alterum dicitur preceptum apud Matthæum ; sed fundamentum est, ut, quod nobis fieri velimus, etiam aliis faciamus, Matth. 7, 12. Quâ causa ergo quis movetur ut semetipsum diligit, eadem etiam moveri debet ut proximum suum. Syrus reddidit : sicut animam tuam, ut per vocabulum sicut intelligatur, tum materia, ut omnia velimus proximo, qua nobis volumus ; tum effectus, quo tali affectu et conatu diligamus proximum, quo nos ipsos diligimus ; tum qualitas, nempe propter Deum & infra Deum. Neq̄, tamen intelligendum, proximum propter te ipsum ; neq̄, propter ipsum, neque plus quam te ipsum, neq̄, infra te ipsum, sed sicut te ipsum, ubi particula sicut respicit dilectionis finem, uti habet Augustin. conc. 8 in Psalm. 118. ut sciat homo diligere proximum tanquam se ipsum, prius debet Deum diligendo seipsum diligere. 2. dilectionis forma, ut quis verè &*
fin-

sincerè diligit proximum. 3. dilectionis mate-
riam secundum Augustin. l. de vera relig.
c. 46. ubi inquit: Ea est regula dilectionis, ut
qua sibi homo vult bona provenire & illi velit;
& qua sibi mala accedere non vult, & illi no-
lit. Hec est proximi tota dilectio, ut bonum
quod tibi conferri vis, velis & proximo, & ma-
lum quod tibi accidere nolis, nolis & proximo,
habet Prospet. l. 3. de vita contempl. c. 15.
Quod plenius declarat Chrysostrum hom. ad
popul. Antioch. Voluntas tua sit lex. Vis be-
neficia capere? confer beneficia alteri. Vis mi-
sericordiam consequi? misereere proximi. Vis
laudari? lauda alium. Vis amari? ama pro-
ximum. Vis partibus primis potiri? cede il-
las prius alteri. Tu sis iudex. Tu sis vita tua
legislator. Et rursus, odisti contumeliam pa-
ri? ne alium afficias contumelia. Quod odisti,
alii ne facias. per hoc quidem à malo fugam
inducis, per illud autem virtutis operationem.
Odisti invidiam pati? neque tu alteri invi-
deas. Odio habes falli? neque tu alium fallas.
Sed quam rari sunt qui hoc prestent! Qui
neq; Deum, neq; proximum diligunt. Omnes
quidem gloriantur sed ostendant, quod habet
Jacobus cap. 2. v. 18. fidem ex factis. Caritas
refrixit, conquiritur Matth. 24. 12 Christus
E e sic

suo tempore ; quid hodie esset factururus ? ubi multi enarrant DEI justitias, sed disciplinam oderunt, Psalm. 50, 16. gloriantur in faciem, sed non in corde, 2. Corinth. 5, 12. Dicunt Domine, Domine, Matth. 7, 21. sed factis negant, Tit. 1, 16.

32. Tum Christi approbatio v. 28. In quo tum confirmatio : dixitque illi : rectè respondisti. Laudat, inquit glossa, responsionem, non laudat factum : non quidem ironicè, sed propriè, quemadmodum etiam apud Mattheum ille Legis peritus Christo dixit : Bene respondisti. Et aliàs ita etiam locutus ad Apostolos, Joh. 15, 10. Matth. 6, 14. Hoc enim requirit Deus, ut ita diligamus pro virilitate, quantum hâc in vita fieri potest. Aliàs impossibilis lex dicitur, Rom. 8, 3. importabilis, Actor. 15, 10. Et quamvis legatur quòd toto corde quidam dilexerint David, 3. Reg. 14, 8. Assa, 2. Paralip. 15, 12. Josia, 4. Reg. 23, 25. tamen nihil aliud intelligitur quàm quòd verè dilexerint, non hypocriticè, id quod ex 1. Paralip. 12, 33. patet, ubi phrasis, non duplici corde, exponitur perfecto corde.

33. Et ejusdem præstatio, cujus antecedens ab effectu : hoc fac. Quia enim quid facere deberet, interrogarat, merito jubebatur facere,

facere, non quasi prestare possit, sed quia praestare voluit. Lex quidem potest, si integre servetur, sed non statim Legis peritus, dum adhuc ipse ignorabat, uti ex sequentibus patet quis sit proximus, Chrylostom. Hom. 13. in cap. 7. Ebr. Redte litera etiam proposita. Hoc fac; illud non facias; proposita erant haec tantum, non autem virtutem inspirabant, quia spes non erat.

34. Et consequens: & vives. Nempè si fecerit, & Deum & proximum dilexerit, quod tamen impossibile, cum opera nostra sint imperfecta, Rom. 7, 21. variis nevis contaminata, Esa. 64, 6. disertè in articulo justificationis exclusa, Rom. 11, 6. à merito Christi, Joh. 1, 29. à fide, Rom. 3, 28. à salute & salvatione, Eph. 2, 8, 9. Unde benè Ambrosius lib. 1. de Jac. & vit. beatit. c. 6. non habeo unde gloriari in operibus meis possim; & ideò gloriabor in Christo; non gloriabor, quia justus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Gloriabor non quia vacuus peccati sum, sed quia mihi peccata remissa sunt.

35. Et proximi nostri denominatio: ubi Legis periti interrogatio v. 29. In quo scopus & prætexus: Ille autem volens justificare seipsum. Hoc est, probare & declarare



sele esse iustum. Laudatus siquidem à Salvatore prodidit animi insolentiam, dum existimabat iustum se esse, nullumq; habere sibi similem, ait Theophyl. in Lucam.

36. Tum modus per interrogationem: dixit ad Jesum: & quis est proximus meus? Iudei enim & Pharisei erant in illa opinione, proximum esse illum hominem, qui fidei, religionis, ordinis, gentis & sanguinis ejusdem cum ipsis, & circumcisu esset, arbitrantur alios homines & populos ad se nihil pertinere. Ita nimirum apud tales homines de animarum salute cogitatio novissima est, uti loquitur Bernn. serm. 1. de convers. Pauli. Et Ecclesiastica dignitatis officia in turpem questum & tenebrarum negotium transeunt. nec in his animarum salutem, sed divitiarum luxum querunt. Vid. Bernhard. super Psalm. qui habitat. serm. 6. propter hoc Ecclesias frequentant, missas celebrant, Psalmos decantant. Inde plus calcaria fulgent quam altaria. Et si docent, alios docent, non semetipsos, Rom. 2, 21. dicunt & non faciunt, Matth. 23, 3.

37. Et parabolica Christi responsio, ubi explicatio, quoad vulneratum, cujus denotatio v. 30. In quo subjectum: Respondens autem Jesus, dixit: Homo quidam. Per quem

quem intelligitur omnis post lapsum, qui in hac vita tanquam in via ambulabat: ideoq; Saluator, quoniam ipse conditor erat, non operibus, neq; dignitatibus, sed natura desinit proximum, Theoph. super Lucam habet.

38. Prædicatum continet tum effectum in genere: descendebat. Quia enim Hierosolyma in montibus erat sita, ideoq; descendisse dicitur; ut innuat quòd si descendamus in majus nos periculum venire quàm si ascendamus.

39. In specie, habet locum, tum à quo: ab Hierusalem. Quæ quidem abundabat donis suis, non omnia tamen habebat, ideoq; dicitur ab eo loco profectus.

40. Tum ad quem: Hiericho. Ut quæ distabat 5. milliariibus Hierosolymis in valle & planicie totius orbis pulcherrima. Ita homo iste est genus humanum descendens ab Hierosolymis in Hiericho, id est, de paradiso in mundum hunc. Hiericho enim lunam significat: quia sicut luna oritur & occidit; ita & mundus, cum in eo orta occidant & iterum orientur, ut habet August. lib 3. hypognost.

41. Tum accidens summam: & incidit in latrones. Quia in medio via erat desertum Adomim, ubi multi latrones sese in rupibus occultabant; & notat Diabolum & ange-

los ejus, uti Augustinus habet, qui homicidias,
Joh. 8, 44. dicitur.

42. Explicatim, quoad antecedens mi-
nus: qui etiam eum despoliaverunt vesti-
bus. *Ut solent, qui surgunt de nocte latrones.*
Unde inquit Bernh. serm. in annunt. Mariæ.
Videre mihi videor, quatuor virtutibus ami-
ctum, prima hominem ab ipso creationis sue
exordio & vestimento salutis indutum. Est
enim in his quatuor salutis integritas. Acces-
serunt misericordiam custodem, ac pedisse-
quam: ut ipsa praeveniret, ipsa sequeretur eam;
ipsaq; protegeret & servaret, ubiq;. Deinde
veritatem, quæ eum in agnitionem summæ
perduceret aliquando veritatis. Justitiam
quoq;, qua regeretur, accepit. Adhuc autem
& pacem, qua foveretur & delectaretur, ad-
didit manus benignissima creatoris: pacem
utique duplicem, ut nec intus pugna, nec foris
timores sint.

43. Quoad majus: ac vulneribus infli-
ctis. *Non enim solum spoliarunt, sed unâ vul-*
nerarunt. Quæ sunt autem plage? quæ vulne-
ra? querit Origen. hom. 34. in Lucam, vitia
atq; peccata.

44. Consequens: abierunt, semimortuo
relicto. *Et ita naturam humanam semimor-*
tuan

etiam reliquerunt vitia: vel quod anima immortalis, corpus autem mortale, & ita dimidiū hominis morti subditum: vel quod non omnino desperata erat humana natura, ait Theophyl. in Lucam. In Christo enim salutem se habituram sperabat. Non quasi liberi arbitrii aliquid haberet in spiritualibus, in quibus homo mortuus. Parabola enim vel dubia anigmatum intelligentia nunquam ad auctoritatem dogmatum proficere potest, ait Hieron. l. 2. in c. 13. Matth. Et textus non de vita spirituali, de sed naturali loquitur. Ideoq; in naturalibus habet adhuc semivivam voluntatem, non in spiritualibus, in quibus homo mortuus atq; consepultus, Coloss. 2, 12. Eph. 2, 1. Quid enim habet homo quod non acceperit?

45. Et quoad prætereuntes, ubi partim inhumanitatis tum sacerdotalis exprobratio v. 31. in quo tum modus: Accidit autem. Siquidem non necessario vulneratus ille vel iste profectus; interim tamen contigit utrumq; sicut fieri solet in rebus humanis. Ut discamus in talibus esse aliquam arbitrii libertatem, non respectu Dei, sed respectu sui.

46. Tum effectus, quoad subjectum: ut sacerdos quidam. Qui in V. T. sacrificabat, & pro populo orabat, Lev. 9, 2.

Ec 4.

47. Præ-

47. Prædicatum quoad antecedens: descenderet ea via. Nempè ex urbe Hierusalem, quæ, uti sæpè dictum, in monte sita: Hiericho autem in locis campestribus. Ut moneamur, in sacris nos debere ascendere, dum in profanis descendimus.

48. Consequens: visoque illo præterit. Hoc est, non curavit, neq; respexit vulnera, quod uti turpe, ita etiam culpabile; est enim officium hominis misereri aliorum.

49. Et Leviticæ immisericordiæ improbatio v. 32. in quo similis ratio quoad modum: similiter. Ut discamus multa contingere eadem, nec semel fieri, sed sæpius.

50. Quoad factum, tum subjectum iterum: & Levita. Qui erat minister ad officia tabernaculi primario destinatus, Num. 1, 50. Siquidem Levite tenebantur victimas parare, vasa custodire, purgare, horisq; sacrificii Psalmos canere, Num 8, 24. Distributiq; erant in tres familias, Gersonitarum, Kabathitarum & Meraritarum, de quibus Num. 3, 17. Inter quos cantores quidem in templis referendi; sed præceptores inter Sacerdotes seu Legis peritos, ut qui legem etiam interpretantur.

51. Tum prædicatum in genere: cum juxta locum. Hoc est, eandem viam, ambularet.

52. In specie: cum accessisset ac vidisset eum, præterit. Hoc est, eadem etiam facit. Venit, inquit Theophyl. & adstitit adiacenti; deinde non volens sanare, reversus est. Hoc enim significat ἀντιπαρῶν Jev. Atq; ita vehementer destruit Ecclesiam Dei, inquit Hieronymus, qui proximum negligit. Siquidem auditores doctrina dicta facere contemnunt, cum prædicationis opera à prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Nunquam enim fuit efficax prædicantis auctoritas, nisi eam effectum operis, cordi affixerit audientis, habet August. lib. de 12. abulion. gradib. 1. Et quis audiat illum docentem, qui se ipsum non audit? Quid in te miretur populus, qui in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? scribit Ambrosius ad Irenæum l. 1. epist. 6.

53. Tum humanitatis Samaritanæ ratio, de qua in genere notanda ejus commiseratio v. 33. In quo subjectum: Samaritanus autem quidam. Qui erant gentes ex Babylone in Palestinam effusæ, mixtam habentes religionem, ex Ethnicismo & Judaismo confusam, quas Judæi Vatiniano prosequerantur odio, unde etiam Christum vocant Samaritanum, Joh. 8. 48.

54. Et prædicatum, quoad effectum ex-

ternum : iter faciens , venit ad eum. *Per quem Christus intelligitur. Sicut enim Judæus alius extra, alius in spiritu : ita Samaritanus alius foris, alius in occulto. Hic igitur descendens quis est ? inquit Ambros. lib. 7. in Luc. qui descendit de cælo, & ascendit in cælum Filius hominis, qui est in cælo.*

55. Quoad internum : & videns eum misericordiâ motus est. *Quia in eo, habet Augustin. d. 1. quo curari dignus esset, meritum nullum invenit. Ut discamus misereri: ubiq; enim homo desiderat. Humanitas etiam est inter te & omnem miserum, habet Lactant. l. 6. vero cultu.*

56. In specie est Samaritani curatio v. 34. In quo modus sigillatim antecedens : & accedens, obligavit vulnera. *Hoc enim erat necessarium ratione curationis. Quid autem est, quærit August. l. 2. quæst. Evangel. c. 19. obligatio vulnerum ? Est, inquit, cohibitio peccatorum, dum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis factus.*

57. Et : infundens oleum ac vinum. *Illud ad leniendum, hoc contra putredinem. Ita multa medicamenta medicus habet, quibus sanare consuevit : sermo Christi medicamentum est : alius illius sermo constringit vulnera;*

ra; alius oleo fovet; alius vinum infundit. Constringit vulnera austeriora praecepto, fovet remissione peccati, sicut vino compungit denunciatione iudicii, habet Ambros. lib. 7, in Luc.

58. Consequens quoad factum: & imponens illum in iumentum. Per quod intelligitur caro, in qua ad nos venit Christus, habet Augustin. l. 2. quæst. Evang. d. 1. Audi quomodo te imponat Ambros. dicit d. loco, hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet & pastor imposuit ovem lassam super humeros suos. Homo enim iumentis similis est factus, & ideo super iumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicut equus & mulus, ut per nostri corporis assumptionem infirmitates nostræ carnis aboleret.

59. Quoad terminum: duxit in diversorium. Estque Ecclesia, quæ omnes suscipit, & nulli auxilium suum denegat, uti Orig. ait homil. 34. in Luc. Diversorium est, inquit Augustin. serm. 2. de Verb. Apost. quia vivendo transimus, cum ad regnum cælorum sani pervenimus.

60. Coniunctim: & curam ejus egit. Næ eger ea, quæ acceperas, nequaquam præcepta servarat, ibid. ait Ambros. Vide verò diligentiam, quomodo ducens in diversorium curam

egerit.

egerit. Nam priusquam in hoc duceret, solūm obligavit vulnera. Quid igitur est? Quod dico? quia cum constituta est Ecclesia & factum est diversorium, hoc est, ex omnibus ferè gentibus aucta; tunc fuerunt & Spiritus S. dona & dilatata est gratia Dei, id quod ex Actis Apostolorū discas, ait Theoph. super hoc Evang. Unde exemplū debent sumere Medici & Chirurghi, quo diligenter agrotos curent, ne suā incuriā ac negligentiam agrè habentes, occidant.

61. Et hospiti facta commendatio v. 35. In quo circumstantia: & postero die egrediens. Non enim vacabat Samaritano huic, diu in terris degere, redeundum eò erat unde descenderat, inquit Ambros. hom. super hoc Ev. Quis est iste alter dies? nisi fortè dominica resurrectionis, aut post resurrectionem, secundū Aug.

62. Et res ipsa, quoad factū, de promptos duos denarios dedit hospiti. Qui autē sunt inquit iterum Ambros. duo denarii, nisi fortè duo Testamenta, quae imaginem in se habeant aeterni regis expressam: aut praecepta duo charitatis, quam per Spiritum S. acceperunt Apostoli: vel promissio vitae praesentis & futuri, Aug. l. 2. qq. Evang. c. 19. Et haec sunt duo denarii, quos dedit hospiti, inquit Maxim. cent. 4 sent. 74. ut tui curam haberet: sed ne appareas in-
gra-

gratus, conjungens te latronibus, ne quando
 rursus percutiaris, & non amplius semimortu-
 us, sed prorsus extinctus maneat. Et quis est
 iste stabularius? querit Theoph., omnis do-
 ctor & pastor.

63. Quoad dictum in genere: & ait ei,
 curam illius habe. Id est, quæ ad fidem illius
 pertinent, habet Aug. lib. 3. hypog. quomo-
 do oportet ad plenam sanitatem pervenire, do-
 ce eum. Noli verò diffidere, inquit Bernh. l. 4.
 confid. in prin. ad curam exigeris, non curationem.

64. In specie obligatio: & quodcumque
 præterea insumseris, ego, quum redibo, red-
 dam tibi. Reverà enim de suo Apostoli multum
 insumserunt, multum laborantes, & ubiq; do-
 ctrinam seminantes. Ita etiam multum insum-
 munt pastores de suo, V. & N. Testamentum ex-
 plicando, ait Theophyl. Et propterea spondeat
 se rediturum, quando fuerit reversus.

65. Et applicatio, quam denotat Christi
 interrogatio v. 36. In quo respectu viato-
 rum, per interrogationem: quis ergò hor-
 rum videtur tibi proximus fuisse? Christus
 ipse est proximus omnium, qui super omnes fe-
 cit misericordiam tollens peccata mundi, Ambr.
 lib. 1. de Abrah. patri. dum exaltatus in cruce.
 Ergò nemo propior, quam qui sanavit vulnera.
 Igitur diligamus & illum.

66. Re-

66. Respectu vulnerati: illi, qui incidant in latrones. Nam Pharisei Iudeos tantum sibi invicem proximos esse arbitrabantur. Ideoque de omnibus tribus querit. Applicanda enim Scriptura, & non tantum generalia proponenda.

67. Tum Legis periti declaratio: At ille dixit: qui exercuit in illum misericordiam. Nam ille verè proximus, qui iuvat, & ille veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum, inquit Gregor. hom. 27. in Evang.

68. Et Christi præceptio: ait igitur illi Iesus: vade & tu fac similiter. Et qui ita concludit & constrictum tenet, ostendit illum proximum nondum dilexisse, & tacite ejus jactantiam redarguit. Ergo frustra de legis implementatione jactas, quia fides operibus, non verbis predicari debet Isid. lib. 3. epist. 158.

N O T A.

I. Decem leprosi steterunt) Considera decem leprosos designare transgressores decem præceptorum; ut discas per lepram de notari peccatum.

II. Ut ostenderent se sacerdotibus) Considera Christum mittere leprosos ad sacerdotes, ut discas morbos animi confiteri.

III. Nisi alienigena) Considera salvari alienigenam præ aliis; ut discas Deum omnes recipere & respicere.

C A S U S.

*An ledens lethaliter sit homicidii reus,
licet non moriatur?*

Non videtur ex *l. aut facto 16. §. eventus. 8. ff. de pœn.* ubi inter casus voluntarios referunt, si quis vulneravit eum, quem occidere volebat, & proinde non ordinaria pœna *L. Cornel. de sicar.* punitur, sed exilio voluntario.

Comprobat etiam *Constitutio crimin. Caroli V. cap. 178.* in effectu pœnam extraordinariam his casibus infligendam esse, si quis obambulet occidendi causa, relegatione, aut ad summum manus amputatione plectatur, *Clar. lib. 5. sentent. §. fin. quest. 92.*

Videtur: 1. Nihil interest, an occidat quis, an causam mortis præbeat, *l. nihil. 15. ff. ad l. Corn. de sic. is* autem, qui occidendi animo cum telo obambulat, & quem petebat, vulnerat, non solum causam mortis præbuit, sed dolum insuper occidendi, etiam si non illico pereat vulneratus.

2. Ostendit idipsum evidentissimè *l. is qui cum 7. C. ad L. Corn. de sic.* ubi is, qui tantum obambulavit occidendi hominis causa, hac pœnâ *L. Cornel.* tenetur.

3. Hic dicuntur expressè latrones, qui non vulneraverant tantum, sed & reliquerunt semimortuum, *L. ac. 10. 30.*

3. In

4. In maleficiis non exitus semper, sed voluntas consideratur, *l. 1. ff. D. Hadr. 14. ff. d. tit. ad L. Corn. de sic.*

5. Confirmatur hæc sententia *l. 1. §. Divus Hadrianus 3 ff. d. tit. ad l. Corn. de sic.* ubi dicitur, quòd is absolvendus sit, qui non animo occidendi hominem occidit: illum verò pro homicida damnandum, qui vulneravit hominem, quem interficere volebat, *Facit. l. ejusdem 3. l. circumcidere 11. in princip. cum simili. ff. eod.*

Ad 1. perperam adfertur *l. aut facta, 16. §. eventus 8 ff. de pœn.* non enim de casu fortuito accipi debet. Nam in ea dicitur, non minus illum puniri, qui cum telo fuerit hominis occidendi causa, quàm qui occidit: ergò si quis occidendi animo hominem vulneravit, pœna L. Cornelia tenebitur, *l. is qui cum 7. C. ad l. Cornel. de sic.*

Denique nihil contrarii importat ordinatio criminalis Caroli V. quæ extraordinariam pœnam reo huic inferendam esse suadet. Quamvis equidem negati non possit, aliud rescriptum esse constitut. Caroli V. illa tamen à plerisque repudiatur, cum non tam juri divino, *Exod. cap. 21. Levit. 24. c.* in verbis; qui percussit & occiderit hominẽ, morte moriatur: sed etiã juri civili contrarietur.

HEi si quis mundi consideret omnia
fata,

Pleraq; prava notat, pauca beata videt.

Discipulis dixit clam Jesus: illa beata

Lumina, si qua vos cernitis, illa vident.

Talia nam Reges voluere videre, propheta

Ac audire; sed id non potuere tamen.

Ecce sed insurgit tentans tunc scriba: Ma-
gister

(ret?

Cœlica, quid faciam, quò mihi vita fo-

Tunc ad eum dixit Jesus: in lege ne Mosis

Legisti? quid habet? quomodo quaeso
legis?

(toto,

Is, Dominumq; Deumq; tuum de pectore,

Ac socium; ceu te dilige, rursus ait.

Huic contra: tua ne responsio congrua legi:

Hoc fac & viues, usq; beatus eris!

Hic se justificare volens sic farior insit:

Dic, Jesu, quisnam proximus ille meus?

Tunc Jesus: quidam Solymis abit, inq; la-
trones

(nunt.

Incidit, hunc spoliant, seminecemq; si-

Accidit at, ut transiret quis fortè Sacerdos

Hacce via, visum præterit isto tamen.

Ac illa Levita via quoq; transit, & una

Vidit seminecem, præterit iste simu'

Post

post Samarita venit per & harum tesqua
viarum

Vt videt, examini fert miseratus opem.
Et simul accedit, ligat ej^s vulnera, vinum,
Applicat ac oleum, portat & inde domum.
Egrediensq; duas drachmas dedit: hospes,
& addit,

Cura quum redeo, singula reddo tibi.
Ergo mihi modo dic, qui proximus esse vi-
detur

Illi? quem necuit vulnere latro fere.
Hic retulit, modo qui misereri noverat: illi
Jesus: vade, fac & talia, talis eris.
Quippe Deum nemo, vicinum nemo, sei-
psum

Nemo novit; at id: proximus ipse mihi.
Talia proposuit quondam simul HEISIUS.
Ista

Hei si pergit erit talis, ut esse cupit.

testatur

GUEINZIUS.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

...ITIARUM
ELICARUM
visitio XLIV.
 RÆSIDE
NO GUEINZIO
 nasii Hallensis
 Rectore.
spondente
GIO HEISIO
 M. T.
III. post Trinitatis.
 R. cl. lcc. iil.
 IS SAXONUM
um Melchioris Oel-
schlegely

